

sationem concedit, vel saltem prius rescriptum convalidat, mittendo litteras « perinde valere ».

VI. Cessante causa dispensationis ante ejus executionem, cessat eo ipso dispensatio; sufficit tamen si causa, instanti fulminationis, existat; perseverat nihilominus dispensatio, etiamsi post fulminationem causa cessaverit. — In dubio de vera causa dispensationis, favorabilior interpretatio admittitur.

367. — Quoad dispensationis executionem:

I. Ille solus valet exsequi dispensationem cui fuerit commissa¹, nisi de jure aut indulto possit subdelegare. — Commissionem expresse datam Episcopo, Vicarius ejus generalis non potest exsequi, et vice versa. — Praestat omnino advertere num delegatio sit personalis, vel ratione officii commissa. — Novus executor, priori deficiente, agere debet quasi res esset integra.

II. Pro foro externo hodie committi solet executio dispensationis Ordinario vel Officiali oratorum, Ordinario sponsae regulariter, vel Ordinario loci; pro foro conscientiae, confessario ab oratoribus electo. — Ordinarius oratorum potest delegare alium Ordinarium², eum praesertim in cuius diocesi degunt actualiter sponsi.

III. Ante fulminationem, executor rescripti condiciones et clausulas rescripto appositae debet adimplere, praesertim quae spectant verificationem precum et praeviam absolutionem a censuris, et, ubi expedit, a peccatis.

IV. Licet obtineri possit insciis sponsis dispensatio, absque tamen eorum, vel saltem alterutrius acceptatione non valet ejus executio; excipe rariores casus quosdam dispensationis « in radice ».

V. In foro externo, fulminatio fit extra confessionem, scripto, etiam in absentes, mentione habita commissionis Apostolicae. Mittitur decretum fulminationis ad Parochum, qui concessae dispensationis testimonium in libro matrimoniali debet asservare.

VI. In foro interno, fulminatio fit viva voce et, regulariter, intra confessionem sacramentalem. — Absolutio a peccatis ad valorem executionis stricte non requiritur. — Praestat tamen cum male dispositis rem, quantum fieri poterit, ad ulteriorem melioremque occasionem differre.

VII. Sufficit fulminatio in solam partem ream, si unica rea sit; si utraque eadem communi culpabilitate laborat, in utramque fulminatur dispensatio, et, si non idem est utriusque partis confessarius, prior, dispensatione in suum poenitentem fulminata, litteras dispensationis ipsi tradit, alterius confessario communicandas, cujus erit, absoluta executione rescripti, litteras dispensationis [sub poena excommunicationis] lacerare.

368. — Generatim quoad dispensationes ac facultates omnes a SS. RR. Congregationibus obtinendas, nostris temporibus harum praxis est ut Curiarum episcopalium tramites omnimode servant; quod si petentes negligant, antequam quidquid decerneretur, de agendis ipsas ex officio percontantur. Idcirco [si quae ad forum conscientiae attinent excipias] Pastores qui illum posthaberent, nil quam negotia implicare, ac tempus terere sciant.

¹ Cfr. S. Poenitent. 25 febr. 1884, 22 april. 1886, 10 aug. 1888, 15 jan. 1894, S. Offic., 4 aug. 1882.

² Leo XIII, *in Litt.*, S. C. Inq., 20 febr. 1888.

§ IV. — De matrimonii Sacramento quoad animarum Pastorem in genere.

SUMMAE RERUM. — 369. De Pastoris in constituendis matrimoniis improvida ingrentia, et quae in re suadenda sint — 370. Quae de hoc sacramento fidelibus docenda veniant, et ad rem canonicae normae — 371. De sponsalium nuperrima plana legislatione. — 372. Quae in re animadvertenda sint. — 373. De nupturientium agnitione et ad rem normae. — 374. De emolumentis in dispensationibus matrimonialibus excipiendis, et ad rem pastorales normae.

369. — Si sacrorum canonum recensione contenti, praecipua quae ad pastorale regimen quod Matrimonii sacramentum spectat, sub silentio tegeremus, nostri officii debito profecto defecissemus. Quapropter animarum curam gerentes in primis et ante omnia:

a) maxime caveant ne confessionis tribunal, aut sacristiam aut capitulares aedes in matrimoniales mensas, indigne, convertant. Non enim, pastorali ministerio apta res est, sed grave damnum persaepe hac ex mediatione oritur. Nam si infelici fato matrimonium cedat, rei culpa mediatoribus affingitur; si bene cesserit, ingratitude comparabitur. Profecto qui aliter teneant, sacerdotes ac confessarios in re miscere contententes, haberi equidem scimus; at num extra chorum canamus, ac ineptam suadeamus industriam, cordati viri dicant. In re, igitur, proverbii illud: *sacerdotes nec benedicti, nec maledicti* locum obtineat.

b) Si vero in tam gravi negotio Pastoris consilia exquirantur, quinque praesertim ad felicitatem matrimonii requiri sciat, nempe aetatis, bonorum, ordinis, inclinationis ac religionis paritatem. Si, enim, prima deest sponsaque longe iunior marito sit, paulatim, aetate ipsa florente vidua illa fiet, aut famula mariti valedudinaria. Si bonorum deest paritas, praesertim ex parte mariti, fit vir uxoris servus, quia cuius pecunia eius imperium est; atqui: *Mulier si primatum habeat contraria est viro*¹. Si vero tres postremae aequalitates absint, tum domi, tum inter cognatos discordia maxima facillime erit, ne dicam de detrimentis, saepe gravissimis, quae ex disparitate cultus tum in sponsis, tum [et praesertim] eorum in filiis haberi consuescunt, et de quibus mox dicemus.

c) Semper vero ac cum omnibus ut suorum iustis Parentum votis, quorum benedictio firmat domos filiorum², omni cum reverentia, nupturientes obtemperant, eos Pastor suadebit;

¹ *Ecclis.* XXV, 30.

² Cfr. *Id.* III, 11.

d) Illicitas amatorias¹ conversationes compescet, de quibus alibi dicemus².

370. — De S. Matrimonii Sacramento tam diligentissime fideles Pastor edoceat ut eius naturam, dignitatem, proprietates ac obligationes perspectas habeant. Praesertim vero ne civile matrimonium cum Sacramento confundant, quae in re radicales habentur diversitates sedulo enucleabit Pastor. Huius, igitur, sacramenti sanctitatem, indissolubilitatem, eius tantum apud Ecclesiam validitatem fidelibus Pastor recolat, et matrimonium civile a sacramento disiunctum, nil quam authenticum, ac proinde damnabilissimum, concubinatum esse, eos admoneat³. Quum vero [praesertim nunc temporis] quidam licentiam carnis usque ad sidera extollentes eiusque libertatem introducentes, ac Dei gratiam in luxuriam transferentes, adversus hoc sacramentum adeo debacchantur ut christianae simul et civilis societatis basim et fundamentum unditus evertere conentur, universam ac genuinam de hoc sacramento doctrinam, pro variis rerum adiunctis et prout commissarum sibi ovium spiritualis utilitas poscet [quin contra leges peccent] fideliter enucleare, ac contra nefarios hos errores eas fortiter preamunire ne omittat⁴. De re, enim, maximi momenti agitur, ad quam omnimode tutandam, nulla cura uti superflua censi debet. Ad rem quaedam fundamentalia canonica recolare principia⁵ juvabit:

I. Per se, legislatio civilis circa matrimonii vinculum « pro non baptizatis » legitima esse potest; pro baptizatis etiam non prohibetur civilis auctoritas plura statuere, quae tamen ad solos civiles effectus, non autem ad matrimonialis contractus substantiam proprietatesve referantur.

II. Matrimonium civile, inde praesertim a « perturbatione Gallica » in omnes fere nationes, etiam catholicas, inductum, illud dicitur quod celebratur a personis civiliter tantummodo habilibus, et ad formam civili lege praescriptam.

III. Matrimonium civile, prout est mera civilis caerimonia, nihil fidei aut ecclesiastico juri contrarium involvens, per se non esset illicitum, praesertim ubi soleret post matrimonium religiosum celebrari⁶.

IV. Matrimonium civile solum, nullatenus veri contractus matrimonialis validi rationem habet, nec aliud proinde ac turpis concubinatus in utroque foro habendum est⁷. — Illegitimi sunt, igitur, filii exinde nati, et ut tales in foro externo Ecclesiae merito tractantur.

V. Si necessitate coacti futuri conjuges, primum coram civili magistratu se

¹ Cfr. indic. alphab. *Scandala*,

² Cfr. Plus IX Alloc. *Acerbissimam*, 22 sept. 1842: Leo XIII, encycl. *Arcanum*, cit.

³ Berengo, *Op. cit.*, n. 122.

⁴ Deshayes et D. D. cit.

⁵ Benedict XIV, *Redditae nobis*, 17 sept. 1746.

⁶ Leo XIII, *Arcanum* cit.; *Inscrutabili*, 21 april. 1878.

sistere debeant, omni diligentia utendum erit ut postea matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interea contrahentes separati consistant¹.

VI. Matrimonium civile, cum aliquam prae se ferat attentionem matrimonii, inducit in foro ecclesiastico poenas statutas contra clericos in sacris, vel regulares solemniter professos, attentantes matrimonium², et, accedente adulterio, parit impedimentum criminis; parit etiam impedimentum affinitatis ex copula illicita, usque ad 2^m gradum, in locis ubi publicatum est C. Trid., quia tunc est merus concubinatus.

VII. Matrimonium civile non habet vim sponsalium, nec « rati » matrimonii naturam; ex eo, igitur, nullum oritur publicae honestatis impedimentum³.

371. — Quod sponsalia tum ex vetere, tum novissimo ex jure sequentia habeantur:

I. Sponsalia⁴ sunt « promissio vera, libera, mutua, signoque sensibili expressa, matrimonii futuri, inter personas determinatas et jure habiles ».

II. Idem est substantialiter sponsalium et matrimonialis contractus objectum; eadem ergo ad legalem utriusque validitatem aetas videtur requisita, videlicet aetas pubertatis [annorum 14 pro pueris, et 12 pro puellis].

III. Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a Parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque, vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur, et alius testis addatur, qui cum Parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet⁵. — Subscriptio fieri debet eodem tractu ab utroque sponso, et testibus simul praesentibus, atque addi dies, mensis et annus⁶. An sponsalia fieri possint per procuratorem, incertum est⁷. Etiam post decretum *Ne temere*, acatholicorum sponsalia, quacumque forma contracta fuerint, valida sunt⁸.

IV. Nomine Parochi in re matrimoniali venit non solum qui legitime praest parociae canonice erectae; sed in regionibus, ubi parociae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et Parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis Moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus⁹.

V. Ex jure canonico, filii familias independenter a consensu parentum¹⁰, valide, etsi saepe saepius illicite, sponsalia contrahunt, quae tamen ad instantiam parentum, justa de causa, per ecclesiasticum judicem dissolvi possunt.

VI. Non prohibentur adnecti sponsalibus legitimae conditiones¹¹, quarum interpretatio et effectus, juxta circumstantias et prudentiam juris debent aestimari. — Conventio de poena, contra primum futurum resilientem generaliter facta, prohibetur

¹ Instruct. S. Poenitent, 15 jan. 1866.

² Constit. *Apostolicae Sedis*, § III, 1. S. Offic., 22 dec. 1880.

³ S. C. C., 17 mart. 1879.

⁴ Cfr. S. Alph. VI, 831: Gasparri, *Op. cit.* I.

⁵ Decret. *Ne temere* cit. — Cfr. documentum XXVII ad calc. volum.

⁶ S. C. C. 27 jul. 1908 ad I et III.

⁷ Cfr. Lehmkühl in Schneider *Manuale Sacerdotum*, pag. 301.

⁸ Id. Ibid. pag. 302.

⁹ Decret. *Ne temere* cit.

¹⁰ S. Alph. VI, 849.

¹¹ D'Annibale, I, 41.

in sponsalibus. — Nihilominus licet arrhas¹ ipsis apponere, quae, contractu rite diluto, restituantur.

VII. Sponsalia valida et absoluta, de jure naturali pariunt in utroque foro, sub gravi, obligationem contrahendi matrimonium tempore statuto, vel rationabiliter statuendo. — Impediunt quominus matrimonium licite cum alia persona contrahatur²; de jure positivo inducunt impedimentum dirimens publicae honestatis quod, solutis etiam sponsalibus, usque ad dispensationem perdurat³.

VIII. Dissolvunt sponsalia: a) mutuus sponsorum consensus, b) violatio fidei sponsalitia, c) casus superveniens, aut ignotus innotescens, quo stante sponsalia inita non fuissent, d) susceptio perfectioris status, e) impossibilitas ineundi nuptias, f) dispensatio S. Pontificis.

IX. Sponsalibus dissolutis, si fortasse pars innocens injustam laesionem passa fuerit, ipsi ab altera culpabili debetur reparatio: a) moralis praesertim per matrimonium, si fieri possit, aut b) saltem physica, per compensationem damnorum.

372. — Nuperrimo ex iure:

a) Sponsalium praecocitas ac immoderata facilitas, perquam saluberrime, caventur; scripto, enim, ac coram testibus, prudentius quippe in tanti momenti re decernitur. Hac ratione et quae ex juvenili impetuositate ac inconstantia pergravia pertimescenda sunt damna, devitantur.

b) Hos inter non solum arbitraria ac proinde iniusta sponsalium retractatio [qua, saepe nimis, carptum virginitatis florem impudenter proculcatur] sed etiam illa, tum animae, tum corpori perniciosissima matrimonii nimia procrastinatio recensenda est, quae [ut alibi dicimus] numquam satius dissuadebit Pastor.

c) Novissimo ex iure inter canonicos libros, seu regesta, et novus instituitur, illud nempe sponsalium, cuius, paradygma, pianae legislationi ad instar, ad voluminis calcem exhibemus⁴.

373. — Quod nupturientium agnitionem spectat, *Ritualis Romanus*: praescribit: *Parochus admonitus de aliquo matrimonio in sua parochia contrahendo, primum cognoscat, ex his ad quos spectat, qui et quales sint qui matrimonium contrahere volunt; an inter eos sit aliquod canonicum impedimentum.* Igitur:

a) In re potissima Pastoris cura sit, ne matrimonii illicetas, et [quod sane peius] eius invaliditas [deinde in radice sananda] habeantur. Si nupturientes ambo sua ex paroecia erunt, haud difficile negotium; si vero unus ex ipsis ex aliena, magis arduum erit. Ad rem:

I. In primo adiuncto nupturientium familiae genesim sedulo Pastor indaget; in altero vero, ad unius e nupturientibus Parochum

¹ C. 29 *De Sponsalibus*, — S. Alph. VI, 850.

² Id. in tit. *De Sponsa duorum*, X, IV, 4.

³ Cfr. documentum XXVI ad vol. calc.

⁴ Ad tit. *Matrimon.*

recurreret de quo infra. Si quaedam vero ad sint impedimenta, necessarias in re dispensationes, a Curia Episcopali in tempore postulet Parochus, ne [si res exigit] ad S. adeundam Sedem tempus postea non suppetat, et ne telegraphico modo deinde uti ipse adstringatur. Ad rem complurima ad voluminis calcem litterarum paradygmata exhibemus, et ut exacte postulationes redigantur, singula inibi statuta serventur. Quo tamen in negotio [ut verius dicamus], quum, ut plurimum dispensationes a Curia episcopali Romae sciscitantur, Pastoris cura fere ad minimum redit: attamen, utilitatis causa, ad rem paradygmata haud omittenda censemus¹.

II. Si de occultis ac infamantibus agatur impedimentis, fortasse, nil nupturientibus dicendum; si de publicis vero, quamvis infamantibus sermo sit, ne antequam necessariis dispensationibus, rei provisum sit, ne adamussim nimis, matrimonii celebrationem, cum illius differendi periculo, nupturientes decernant, eos admonere praestabit. In re enim, tum sponsis eorumque parentibus ac amicis, tum sibi, tum ecclesiasticis consulere legibus ac occurrentia incommoda devitare, plurimum refert.

374. — Si vero, [ut communibus in adiunctis lex est] tum a Curia episcopali, tum a Parocho ipso, in dispensationibus obtinendis aliquid emolumenti a nupturientibus percipiendum sit, ne deinde obstupescerent quae solvenda sunt recusent, eos de re comiter praemonere praestabit. Attamen in his quae Parocho spectant exigendis, quamcumque pertinaciam vel immodicam rationem devitabit Pastor, ne nupturientes adversati, sacramentum despicientes et civili tantum contractu contenti, ad concubinatum properent. Quantas, enim, in re, hinc inde, interdum haud omnino iniustas, vagentur lamentationes in sacro ministerio aliqua experientia pollentes, necnon optimi christiani de bono sacerdotali nomine solliciti [cum magno animi moerore] amplissime dicent. Ut haec vero omnia [quibus apud complurimos haud recte sapientes, de sacramentis sacerdotes mercaturam agere videntur] in quantum iustitia, prudentia ac caritatis sinunt, praesertim cum his qui indigentia vel paupertate laborant, necnon cum coeteris omnibus qui, religioni minus vel nil affecti cum sint, avaritiae rapacitatis nota sacerdotes inurere consueverunt, devitentur, numquam satius suadebunt Pastores. Hac ratione se habentes, Pastores non tantum spiritualia, sed et temporalia quoque adiumenta a fidelium caritate obtinebunt, quia, [ut effatum est] quod per ianuam exit, per fenestram iterum intret.

¹ Cfr. paradygmata XIV-XXV ad vol. calc.

Quas, enim, Statui civili taxas, nullo negotio, cives solvunt, Ecclesiae [quamvis eius materna benignitas plurimas in re dispensationes vel diminutiones concedere consuescat] non nisi magno cum murmure difficultateque praestant. Haec nostrorum praesertim temporum genuina conditio est, cui, in quantum licet, aptari, tum prudentia, tum Ecclesiae sacerdotalisque bonum nomen, suadent.

§ V. — De nupturientium instructione.

SUMMAE RERUM. — 375. An imdversiones praeviae. — 376. De spontaneitatis, libertatis, honestatisque contrahentium inquisitione. — 377. De eorum religiosa instructione, et ad rem normae practicae. — 378. De confessione ac SS. Eucharistia sumptione huic sacramento praemittendis. — 379. De christiana in hoc sacramento conversatione, et ad rem normae practicae. — 380. De Parentum, legum civilium ac Parochi consensu. — 381. De episcopali adeunda Curia.

375. — *Utrum sponte, libere et secundum honestatem, [Ritualis docet Romanus] Sacramentum velint contrahere; utrum sint in aetate legitima ut vir saltem quatuordecim, mulier duodecim annos expleverit, et uterque sciant rudimenta fidei, quum deinde filios suos docere debeant...* dignoscet Parochus. *Admoneantur, praeterea, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad SS.^{mam} Eucharistiam atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant, et quomodo in eo recte et christiane conversari debent, diligenter instruantur, ex divina Scriptura exemplo Tobiae et Sarae verbisque Angeli Raphael eos edocentis, quam sancte coniuges debeant convivere*¹. Quibus ex verbis, quamvis quae a Pastore hoc in adiuncto praestanda sunt perspecta habeantur, attamen, instructionis ac praxis causa, haec omnia aliquantulum enucleare nostri est, quod *Ritualis Romani* verba commentantes, praestabimus.

376. — *Utrum, igitur: sponte, libere et secundum Sacramenti, contrahere nupturientes velint*², Pastor disquirat. Enimvero vis ac metus impedimentis matrimonium dirimitur, et apposita inhonesta conditio [ex. gr. infoecunditas, vel proli delimitatio], quum sacramenti substantiam attingat, eum omnino invalidum reddunt. Qui vero hanc postremam statuunt conditionem, quam, nisi omni, celare contendunt, [praesertim nunc temporis complurimis in regionibus, malthusianis inserviando placitis] frequenter nimis haebentur. De re, igitur, prudenter quidem, at sedulo inquirat Pastor, et [moralis theologiae praecepta prae oculis habendo] si Sacramenti finem inco-

¹ *Ritualis Romanus*, in tit. *De matrim.*

² *Id. ibid.*

lumem nupturientes servare recusent, quum de non accidentali conditione agatur, sacramentum quoque abnuet¹.

377. — *Utrum rudimenta Fidei nupturientes sciant*², inquirat Pastor, qua in re adeo diligenter, sed et opportuna ratione se habeat, ut sponsorum intelligentiae sese ac suas interrogationes aptando, quae ad matrimonium rite suscipiendum scitu necessaria sunt [nempe, rudimenta Fidei, quae ad salutis nostrae Mysteria, Sacramenta, Dei et Ecclesiae praecepta, orationem dominicam, Symbolum Apostolicum necnon Angelicam salutationem redeunt] ab ipsis dignoscere valeat. Ad rem³:

a) Si quis genuina ignorantia laboret [quod difficulter in praxi haberi posse ex dicendis patebit] dum tempus suppetat, tum per se, tum per alios instituat. Si vero matrimonii celebratio immineat, et ad illud contrahendum eum haud amplius visurum Parochus pertimescat, eadem ratione quae cum poenitentibus in eadem ignorantia versantibus, quos tamen [ut monuimus alibi] breviter ac summatim instrui posse et ita absolutionis beneficio, nisi aliud obstet, non fraudandos diximus, se habeat Parochus.

b) Sed et alii, interdum, qui, certo quodam modo, non ignorantia tantum, sed et arrogantia vel noncurantia peccando, adeo has dedignantur interrogationes, ut ab his offendantur, habentur. Quapropter Parochum illum qui, huiusmodi interrogationes cum his omittet, haud damnandum probabilior sententia docet⁴. Enimvero, ut plurimum, non harum rerum genuina ignorantia, sed potius de earum apta expositione agitur heic, quod [ut patet] sese inter plurimum discrepant. Etenim ut quis catholicam inter gentem degens, ubi catholicus peragitur cultus, ubi Crucis signum in SS. Trinitatis nomine indesinenter fit, ubi Redemptionis Nostrae Signum in templis, in domibus, in viis et saepe cum Iesu Christi cruci affixi imagine conspicitur, ubi Nativitatis, Mortis, ac Resurrectionis D. N. I. C. festa quotannis celebrantur, ubi B. M. V. imagines hinc inde exhibentur, maxima Trinitatis et Incarnationis mysteria reapse omnino ignoret, fieri non potest⁵. Hinc, potiusquam de harum notionum ignorantia, de difficultate in his exponendis hi nupturientes laborare videntur, quae sese inter haud

¹ Cfr. Benedict. XIV, *Nimiam licentiam*, 1743.

² *Rif. Rom. loc. cit.*

³ Cfr. Frassinetti, *Op. cit.*, P. II, Cap. 6^o §§ 4 e 5; Berengo, *Op. cit.*, n. 123 et 126; Benedict. XIV. C. *Etsi minime* 7 febr. 1742, § II.

⁴ Cfr. Frassinetti, *Op. et loc. cit.* — Cfr. Tarino, *Il libro del buon Pastore*, Biella, 1867.

⁵ Cfr. Gousset, *Theolog. Moral.*, V, 12, n. 573.

parum differunt. At haec omnia dignoscere ad sacramentum suscipiendum necessarium, ea vero rite enunciare minime. Nec in Fidei rudimentis filios edocere sponso teneri, ac proinde ad talem eorum cognitionem quae ipsos huic muneri idoneos reddat, opponat quis; quum hoc munus, ut plurimum, matris sit quae, praesertim in altioris conditionis coetu, tanta ignorantia minime laborat. — Insuper, si ad uberiorem confessionem sponsi accedant, quidquid ad aptam ac christianam filiorum educationem pertinet [ac proinde ad eorum religiosam instructionem] scientiam sufficientem parentibus praescribere confessarius potest. An non illis matrimoniis tantum quorum coniuges bonam filiis educationem impertituros praevideat assistere volens [nostris praesertim temporibus] dimidiam saltem partem omittere adigeretur Parochus? ¹

c) Attamen de cum nupturientibus interrogationibus omittendis doctrinam mica cum salis acceptandam esse, iure meritoque, quidam DD. monent²; nam si quae prima fronte habentur difficultates attendendae essent, de pastoralis sacerdotique ministerio adeo in pluribus contingentiis actum esset, ut fere ad nihilum redigeretur. Quapropter [sit conclusionis erga dictum] et cum his adeo se gerat Parochus ut, affabili conversatione, et absque ulla vera interrogatione, quae ad rem scitu necessaria sunt, summatim exponat, ac, potiusquam instructionis, paraenesis ad instar ea inculcet: qua ratione, audita non intelligi, et quae fere ignota sunt haud disci, fieri non potest.

378. — *Admoneantur* [Ritualis pergit Romanus] nupturientes, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiam ac matrimonii sacramentum suscipiendum pie accedant³. Qua in re:

a) In gratiae statu ad tantum sacramentum nupturientes accedere debere, ne impio polluantur sacrilegio, certum omnino est.

b) At his qui peccatis tantum venialibus detinentur, immo et qui mortali inficiuntur culpa, contritionis actum [qui se confitendi propositum includit] ad gratiae statum acquirendum et, proinde, ad sacramenta omnia absque sacrilegio [SS. Eucharistiam et Extremam Unctionem si excipias, non in se, sed propter periculum ne confitendi tempus amplius suppetat] recipienda sufficere, DD. unanimiter sentiunt.

c) Ex his recentis, confessionis exhibendae schedulae obligationem ut coram se contrahere velint, per se loquendo, nupturientibus haud imponere Parochum posse inferendum sane est. Quapropter

¹ Cfr. Benedict. XIV, *De Synod.* l. VIII, c. 14, n. 6.

² Scavini, *Theolog. Moral.* IV append. LXXIV, n. 538; Berengo, *Op. cit.*, n. 125.

³ Tit. *de Sac. Matr.*

ut antequam contrahant ... sua peccata confiteantur et ad SS. Eucharistiae sacramentum accedant¹ SS. Tridentina Synodus nupturientibus non praecipit, sed tantum eos adhortatur. Attamen ad securius effectum consequendum, peractae confessionis schedulam a sponsis requirentes haud improbandi sunt. Hac ratione, dum saluberrimae ac generales ecclesiae traditiones sartae tectaeque servantur [quibus neglectis et generalis regula collabescit], et quorundam socordia qui secus confessionem neglexissent, peropportune excitatur. At in re, his qui modernam affectantes incredulitatem ac confessionem despicientes, adeo Dei gratiam flocci faciunt, ut multo minus ad illam suscipiendam accedant, de schedula nil dicendum superest; sed, industrie adhortatione sua, ut quae ipsi agere renuunt, non omittant, in quantum circumstantiae sinunt, Pastor curabit. Enimvero, etsi *hi notorie in ecclesiasticas inciderint censuras, curandum pro viribus est ut, debito modo, cum Ecclesia reconcilientur, et si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis quae ab adprobatis Auctoribus et praesertim a S. Alphonso* [lib. VI, Tract. I, cap. 2] *traduntur, ea declaret quae magis expedire iudicaverit, exclusa tamen semper missae celebrationem*². — Quum vero de ecclesiasticis *censuris notorie* irretitis S. Poenitentia dicat, qui, [ut per se patet], quam hi qui matrimonio confessionem praemittere detrectant in peiore conditione sunt, [de *notorie*, enim, *censura* innotatis S. Poenitentia decernit], ad scandalum devitandum, nimirum, ne quae occulta sunt manifesta fiant, tum missae deficientiam, tum ad Ordinarium recursum, fortassis Parochum omittere posse complurimi censent. Attamen, si aliquid nostri in re addere licet, hunc postremum, [nimirum ad Ordinarium recursum] vix omittendum consulimus. His enim aliisque in adiunctis omnibus in quibus Parochi potestas dubia est, ad Ordinarium accessio nil facessit.

379. — Tandem ut *quomodo rite in matrimonio christiane conversari nupturientes debeant...*, *quam sancte coniuges convivere debeant, diligenter instruantur, Ritualis Romanus docet*³. Qua in re quam caute, prudenter agendum sit, adeo in comperto est, ut plurima de re verba facere sit vanum. Attamen [ne aliquid ad praxim attinens tractationi nostrae desit] ut non tantum sibi, sed ut fidelium ac coeterorum omnium bono Pastor consulat, cum sponsa de hoc agendo ne-

¹ Sess. XXIV, c. 1. *de Reform. Matrim.*

² S. Poenit. 10 dec. 1860.

³ Loc. cit.